

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Aus einem Preisgedicht

cuncta domus varia cultorum personat arte,
cuncta movet studium; nec enim tibi dura clientum
turba rudisve placet, misero quae freta labore
5 nil nisi summoto novit praecedere vulgo;
sed virtus numerosa iuvat. tu pronus in omne
pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt
seu leviora iuvant. nec enim facundia semper
adducta cum fronte placet: nec semper in armis
10 bellica turba manet, nec tota classicus horror
nocte dieque gemit, nec semper Gnosius arcum
destinat, exempto sed laxat cornua nervo,
et galea miles caput et latus ense resolvit.
ipsa vices natura subit variataque cursus
15 ordinat, inversis et frondibus explicat annum.
cessat hiemps, madidos et siccat vere capillos
ver fugit aestates; aestatum terga lacessit
pomifer autumnus, nivibus cessurus et undis.
igneus quin etiam superum pater arma recondit
et Ganymedeae repetens convivia mensae
20 pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
temporibus servire decet: qui tempora certis
ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
miles erit; si pax, positae toga vestiet armis.
hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
25 felix illa dies totumque canenda per aevum,
quae tibi, vitales cum primum traderet auras,
contulit innumeras intra tua pectora dotes.
mira subest gravitas inter fora, mirus omissa
paulisper gravitate lepos. si carmina forte
30 nectere ludenti iuvat fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen;
sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
dulcis Apollinea sequitur testudine cantus,
et te credibile est Phoebus didicisse magistro.
35 ne pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
publica securis exultent otia terris,
ne pudeat: Phoebea chelys sic creditur illis
pulsari manibus, quibus et contenditur arcus.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erklären Sie die an der jeweiligen Stelle vorliegende Bedeutung von:

- a. **summoto ... praecedere vulgo** (4),
- b. **adducta** (8),
- c. **undis** (17)!

2. Geben Sie eine semantische Erläuterung zu **deducit** (31)!